

05

A

2395





Ex Practicâ Philosophiâ

de

Jure atque Æquitate,

Duce Deo & Preside

M. MICHAELE WENDELERO,

Facult. Philos. Adjuncto,

JOHANNES Schneidewein Cygnéus

publicè disputabit

ad diem 15. Decemb. horis antemeridianis

In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

Anno M DC XXXVIII.

Ex Practica Philologia

Jure atque Equitate

Duce Duce Praxide

M. MICHAELIS



JOHANNES

ad hanc r. Decemb. hor. ...

05 A 2395

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr. Anno M DC XXXVII



Continuatio.

Justitiam excipit Jus, quo nil majus inter homines.: nil divi-
nium, si salutariter & ex usû publico administratur: nil magis
arduum, quàm ab uno viro tot capita coerceri, & universam
Reipub: turbam sub commune obedientie jugum leniter re-
digi. Hujus tractationem unà cum Æquitate, legitimo
juris laxamento, hâc vice suscipimus. Duo ergò membra,
quorum alterum de Jure alterumq; de Æquitate agit, Duce
Jehovâ, constituimus.

Membrum Primum

de

JURE.

Præcepta.

1. Jus est justa actio & justum factum à justitiâ pro-
ficiscens.
2. Dividitur in Politicum & Oeconomicum.
3. Politicum est, quod ab illis, qui liberi sunt & æqua-
les societateque quâdam inter se devincti, ad rerum ne-
cessariarum suppeditationem colitur.
4. Hoc rursus dividitur in naturale & legitimum.
5. Jus naturale, quod suam auctoritatem habet ex
naturâ, eandemque vim & potestatem ubique gentium
obtinet.
6. Jus legitimum est, quod suam auctoritatem habet ex
hominum instituto, quodq; ante constitutionem nemi-
nem, post constitutionem omnes, quibus latum est, obli-
gat.
7. Jus Oeconomicum est, quod in societate dome-
sticâ ad generis propagationem & familiæ sustentatio-
nem observatur.
8. Oppositum est Injuria.
9. Injuria est injusta actio & injustum factum.

Explicationes.

1. §. Jus deducitur à justitiâ, tanquam effectus à causâ, non secundum denominationem Grammaticam, sed Logicam. Grammaticis non incommodè derivatur à jubendo, vel à jussu. Hinc olim jussa, quæ nunc jura, vocabantur. Quidam à juvando, quòd juvet, derivant.

2. §. Sumitur hîc pro legis præscripto, quod in mutua societatis usu recta præscribit ratio. Ejus Synonyma sunt, fas, lex, justum, justè factum. Nota hæc propriè accepta Synonyma non esse. Nam jus in propriâ significatione est præceptum ex lege, seu ratione, tanquam effectum ex sua causâ ortum. Æquum verò pro ejus Synonymo non posse haberi sequens monstrabit membrum. Fas propriè dicitur de eo, quod lege divina permittitur. Lex strictè sumpta est ratio nostra, quatenus justa & honesta præcipit. Hinc dicitur naturalis ratio, naturale jus, regula & norma juris. Communiter hæc voce non tantum lex naturæ, sed omnis scientia ob affinitatem, quâ legislator aliquid decernit, exprimitur. Justum nominatur legis contentum. Justum enim duo involvit, jussum h. e. actum rationis (tam interiorem, qui est voluntatis, quàm exteriorem, qui scripturâ & alia ratione significatur) & rem jussam, quæ dicitur justa ob qualitatem illam, quam vel à jussu vel à solâ juris ratione assumit. Denique justè factum est effectio illius, quod in lege imperatum erat.

3. Unico verbo: *Lex, hoc est, ratio jubet datam fidem servare: Actus rationis, (fidem serves) jus est: observatio fidei, quæ est res justa, & appellatur justum: tandem justè in lege contenti in actum productio, justè factum nuncupatur.*

4. §. Definitio non indiget uberiore declaratione. Quoad divisionem, sciendum Politicum dici jus simpliciter, Oeconomicum per quandam similitudinem. Nam jus Oeconomicum aliquid simile alit cum Jure Politico.

5. §. Jus naturale dicitur, quia à naturâ & non à consuetudine proficiscitur. Audit & Universale, quia ad omnes homines pertinet: itidem Primum, quia hoc jus fuit, antequam essent leges scriptæ. Ab Apostolo appellatur *Veritas rei, patefactio Dei, & opus legis scriptum in cordibus.*

6. §. Cau-

6. §. Causa efficiens juris naturalis sunt notitiæ principiorum practi-
corum & conclusionum communium inde extractarum. Principia practica sunt propositiones universales per se notæ, & indemonstrabiles, ex quibus Conclusiones deducuntur. Cujusmodi appellantur sequentia: *Honestè vivendum: Turpe fugiendum: Parentes honorandi: Pacta servanda: Suum cuiq; tribuendum: Nemo lædendus: Veritas colenda: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Quicquid sine detrimento commodari potest, id tribuatur cuiq; peregrino monstrare viam &c.*

7. §. Conclusiones communes sunt, quas naturalis ratio ex principiis conficit. Ita ex principio (*Justitia est colenda*) concludimus, non esse furandum, non occidendum, non scortandum, nihilque, quo quisquam lædi possit, faciendum. Ex principio (*æqualitas est servanda*) colligimus, poenam debere delicto respondere. Ex principio (*Deus est colendus*) fit collectio, hominem à cultu divino nos avocantem non esse audiendum.

8. §. Huic juri tres assignant proprietates: Ubique & apud omnes homines eandem vim habere, ideoque etiam esse immutabilem, neque abrogari posse. Nam lex hæc diffusa est in omnes, est sempiterna, à qua homines neque per senatum, neque per populum possunt solvi & liberari. 2. Ducere originem non ex hominum instituto, neque niti eorundem opinione, sed autoritatem ex semetipso habere ob Deum, qui hominum mentibus id inspiravit. 3. Ad honestatem referri. Nam est lumen mentis nobiscum natum, quo ex nobis principia practica absque accidente aliqua doctrinâ intelligimus, ac hujus adminiculo verum à falso ac bonum à malo discernere valemus.

9. §. Hujus loci est *Jus gentium*, quo omnes homines ex communi ratione utuntur. Ex jure gentium est, quòd legati non sint violandi, quòd bona naufragorum non sint prædæ exponenda. Plura alia ex jure gentium introducta de bellis, de foederibus, de contractibus, de emtione, venditione, locatione, conductione. Quæ omnia Jurisperitis relinquimus.

10. §. Corollarium hinc emergit tale: *Jus naturale & Jus gentium differre causâ efficiente, subjecto atq; origine.* Jus naturale natura, gentium docuit recta ratio. Naturale ad omnia animalia

lia, gentium pertinet ad omnes homines. Naturale coepit in crea-
tione, gentium ab hominibus ob quandam necessitatem est intro-
ductam.

11. §. Jus legitimum etiam appellatur *Humanum*, ut & *Positi-
vum*, quia ab hominibus positum & constitutum fuit. Dicitur
scriptum, item *Legale*, quia legibus describitur & sancitur. Hoc
est illud jus, quod Jurisperiti vocant civile, quod quisque populus
sibi constituit. Per populum intelligitur non hæc vel illa civitas in
particulari, sed civitas in genere, hoc est populus, qui in eadem
societate versatur, iisdemque legibus à superiori sancitis utitur,
seusit Romanus, seu Hispanicus, seu Germanus. Nam jus civile
ab unâquaque civitate generaliter consideratâ denominatur.

12. §. Proprietates hujus tres sunt: 1. Suam originem atque
autoritatem debere hominibus, qui illud adducti probabili ratio-
ne, sive ex naturæ jure, sive ex aliquâ circumstantiâ detumta com-
muni consensu constituerunt. Ergò pro ratione personarum,
locorum, temporum aliarumque circumstantiarum mutari potest.
2. Ante constitutionem nullam habere vim obligandi hominem,
sed esse indifferentem: post confirmationem sub poenâ transgressio-
nis obligare omnes, quibus latum est. 3. Præsupponere honesta-
tem, quam habet ex jure naturali, ac præcipuè referri ad eorum,
quibus fertur, utilitatem.

13. §. Ex his Corollarium resultat sequens: *Jus naturale & legiti-
mum differre efficiente, notitiâ, efficacia & fine.* Naturale causam
necessariam Deum, naturæ auctorem, Legitimum agnoscit homi-
nis arbitrium. Hinc illud *divinum*, hoc dicitur *humanum*. Ergò
& illud hoc præstantius. Naturale ab omnibus sanæ rationis ho-
minibus intelligitur: Legitimum solùm à viris prudentibus. Na-
turale ubique est idem constans & immutabile: Legitimum obli-
gat tantùm, quibus est latum, inconstans & mutabile. Naturale
spectat tantùm honestatem: Legitimum hanc præsupponit atque
eorum, quibus sancitum fuit, utilitatem adfectat.

14. §. Dividitur in *scriptum & non scriptum*, in *universale &
particulare*, & denique in *commune & singulare*. Jus scriptum
constat expressâ aliquâ lege, sive hæc immediatè ab ipso populo,
sive mediatè per plebiscitum, senatus consultum, principum pla-
cita

edita aut Magistratum edicta fuerit constitutum. Requiritur ad hoc expressus populi consensus. Scriptura est quoddam necessarium adjunctum, a quo denominationem accepit.

15. §. Non scriptum diuturnis moribus, usu atque observatione fuit introductum. Nam diuturni mores consensu utentium approbati legem imitantur. Ad consuetudinem pertinet tacitus populi consensus, de quo si non certè constat, probanda veniunt actuum frequentia & diuturnitas temporis, ex quibus tacitus consensus necessario sequitur.

16. §. Jus universale à supremo Magistro inferitur. In Romano imperio est illud, quod Imperator cum statibus imperij in publicis comitijs sancit. Continetur in Recessibus Imperij, atque aurea Bulla Caroli Quarti. Particulare unusquisque Magistratus secundum suam jurisdictionem decernit, subditisque proponit. Tale est jus provinciale, utpote Saxonicum, quod in certâ provinciâ, scilicet Saxoniam, observatur: Item jus Municipale & privatum uniuscujusque civitatis.

17. §. Jus commune in omnes cives statuitur. Sic commune jus erat inter Lacedæmios & Athenienses, utriusque partis captivos pro certâ pecuniâ redimere. Ad commune jus pertinent ferè omnia, quæ in libris Jurisperitorum explicantur. Singulare certis personis fertur. Hujusmodi lex fuit apud Siculos, qui in honorem Marcelli annua sacra celebrabant. Hujus loci sunt omnia Privilegia. Quicquid enim fit in certam personam, est privilegium, olim non nisi in solemni populi conventu concessum. Hujus generis sunt *Ἰνδισματα* Atheniensium, & Romanorum Plebiscita, hoc est particularia quædam decreta, aut leges particulares ad certum tempus latæ: e. g. quando tempore belli aut pacis choreæ, convivia alijque ludi prohibentur.

18. §. Jus Oeconomicum pro triplici personarum respectu triplex est: Paternum, quod inter parentes & liberos colitur: Herile, quod inter Dominum & servum: Matrimoniale, quod inter maritum atque uxorem observatur.

19. §. Juris norma est lex, secundum quam omne jus æstimari debet. Hinc vocatur *regula faciendorum & omittendorum, mandans*, quid fieri debeat, & obligans omnes vel ad poenam vel obedientiam.

diēntiam. Lex est vel *communis* vel *propria*. Communis, quæ ad omnes pertinet, est vel *inscripta*, vel *præscripta*. Inscripta hominibus est insita. Ex hâc oritur jus naturale. Præscripta à superioribus proponitur: ut sunt, Magistratus edicta. Inde ortum trahit jus civile scriptum. Propria pertinet ad certam societatem, & quam quælibet civitas sibi propriam constituit. Ex hâc descendit jus privatum.

20. §. Injuria, quæ juri opponitur, dicitur quasi injuria, quòd jure & justitiâ careat. Sumitur propriè & impropriè. Impropriè sumitur pro omni, quod non jure fit. Propriè sumta injuria est juris violatio, cum à sciente & volente alicui invito damnum præter meritum infertur.

21. §. Notandum hîc, quòd non omne injustum statim sit injuriosum, nec omne damnum alicui illatum statim injuria. Nam, quoddam injustum aut noxium fit etiam per accidens ex ignorantia, casu, invito & ex affectu vehementiori. Hoc quamvis sit injustum malum, noxium & perniciosum, tamen nec is, qui hoc facit, propriè injuriam, nec qui damnum patitur, pati propriè, dicitur.

22. §. Hoc ut melius pateat, tria malorum & damnorum genera faciemus. Primum ab ignorantia proficiscitur, quando lædens ignorat circumstantias personæ, loci, temporis, modi, instrumenti & finis. Estque vel *infortunium* vel *delictum*. Infortunium dicitur, ubi præter agentis intentionem sine malitiâ damnum infertur. Ita Ceph. lus apud Ovidium uxorem in arbusculo lateantem telo configit. *Delictum* consultò sine malitiâ committitur. Ita duorum sodalium digladiandi causa sese exercentium alter alteri oculum effodit, vel digitum amputat.

Hinc sequitur Corollarium:

Delictum atq; infortunium neq; justum neq; injustum reddere eum, qui hæc admittit. Nam non ex malitiâ & improbitate agentis proficiscuntur.

23. §. Secundum malorum genus ex animi perturbatione & vehementi aliquo affectu infertur. Hæc facta dicuntur injusta, non tamen injuria, quia non consultè & cogitatè fiunt. Leviora enim sunt,

sunt, quæ repentinò aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ præparata inferuntur.

24. §. Tertium malorum genus ex certo animi proposito inferitur, & est cum malitiâ & improbitate agentis conjunctum. Hoc factum propriè dicitur injuriosum, seu iniuria, cujus tres sunt notæ, ut invito inferatur, ut, qui infert, sciens & volens inferat, ut præter meritum patientis fiat.

25. §. Injuria est vel *realis*, vel *verbalis*. Realis manu inferitur. Verbalis fit vitis, verbis, literis, & libris in alterius infamiam editis.

QUÆSTIONES

Questio Prima.

Num judicia sint licita?

Theologi ex immotis Scripturæ fundamentis probant. Nos addimus ex sanâ ratione: Quicquid ad Reipub: conservationem maxime utile, summeque necessarium est, absolute ac per se illicitum esse nequit. Judicia civilia &c. E. Profunt enim ad veritatem patefaciendam, justitiam administrandam, ad defensionem nostri nostrorumque obrinendam, & denique ad externam disciplinam & publicam pacem conservandam,

Questio Secunda.

Num satius sit, nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare?

Quamvis utrunque malum sit, præstat tamen, nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare. In nocente dimittendo tantùm Resp: læditur, nocens nec jure suo privatur, nec injuriâ aliquâ afficitur. Verùm ubi innocens condemnatur, & Respublica & innocens patiuntur: Illa, quia hujus non minus interest innocentes absolvi, quàm fontes puniri; hic, quia jure suo privatur, vimque sustinet,

Questio Tertia.

Num judex possit aliquem non accusatum damnare, & damnatum absolvere?

1. §. *Sententia* est bimembre. Priori satisfacimus, adhibita distinctione inter factum capitale & non capitale. Circa factum, quod non est capitale, concernitque tantùm privatum aliquem, judex

B

neminem

neminem, qui non accusatur, damnare potest. Nam 1. est contra naturam, eundem & judicem atque accusatorem existere.
2. Quia Judex est justitiæ interpret. Justitia autem versatur inter duos, quorum unus est actor alterque reus. Igitur, si actor non probaverit, reus absolvitur.

2. §. Si verò factum capitale toti Reipublicæ fuerit exitiosum, judex maleficos ad supplicium tradere potest, partim, ut justitiæ satisfaciatur, partim ut avertat à Repub. ruinam, quæ impunita scelera sequitur. Ita David Amalekitam, nemine accusante, occidit, & Salomo Joabi sanguinem effundit.

3. §. Ad alterum quæsitum membrum respondemus, judicem quidem posse lenire poenam pro varietate circumstantiarum, non tamen prorsus tollere, nisi fortè è commodo Reipublicæ fuerit. Aliàs enim Justitia non facta & recta conservatur, legum auctoritas cadit, Reipub. salus non promovetur, parti læsæ non satisficit, neque judicis conscientia consulitur.

Questio Quarta.

Num judex secundum acta & probata, num verò secundum conscientiam judicare teneatur?

1. §. Per acta & probata (etiam in alio sensu, quatenus ex falso proficiuntur testimonio, accipiuntur) intelligimus certissimas veritatis adsertiones & legitimas probationes, à quibus omnis fucus & omnisque falsitas longissimè abest: per conscientiam, certam & exploratam rei scientiam, quæ ex *αυτοψία* aliisque certis ac infallibilibus mediis judici de veritate facti & innocentia accusati indubitato constat. His præsuppositis, affirmamus judicem indistinctè in omnibus controversiis secundum suam conscientiam judicare debere.

2. §. Theologi probant à divino interdicto. *In judicio non acquiesces plurimorum sententia, ut à vero devies*, Exod. 23. v. 2. Judicans secundum acta & probata quia morti adjudicat eum, quem in conscientia novit esse innocentem, utique à vero deviat. Nam

acta

acta & probata veritati possunt contrariari, cumq; sententiâ judicis pugnare.

3. §. Nos hoc affirmamus: 1. ab officio judicis, qui debet esse vir pius ac bonus, in cujus corde regnet Dei timor. Perpendat, se habere superiorem judicem, cui aliquando dispensationis hujus ratio est reddenda. Ergò non dicta, sed causam consideret oportet. Sequitur hinc, judicem non teneri contra veritatem sibi certò compertam aliquid statuere, multò minùs scienter nocentem absolvere atque innocentem damnare, sed majorem rationem habere conscientiæ, quàm testium.

4. §. II. A manifestâ iniquitate. Iniquum est innocentem condemnare, & nocentem absolvere. Nam omnis debita pœna præsupponit debitam culpam, quia sunt relata, flagitium & supplicium, illud habet rationem causæ, hocque effectûs. Ergò ubi non præcedit vera culpa, ibi pœna infligi neque potest neque debet. In homine secundum acta & probata vulgò sic dicta damnato non præcedit. E.

5. §. III. A fine probationum, quæ in judicio ob id instituuntur, ut judex de veritate rectè informetur. Inde probationes dicuntur arbitrariæ, atque ab officio judicis dependere. Igitur si probationes non correspondent certæ judicis sententiæ, non eas sequetur, quia sic non informaretur, sed corrumpetur. Ad hæc non adversario, sed judici probandum est. Ergò quando judici constat, rem aliter sese habere, quàm per testes fuit probatum, secundum veritatem sententiam ferat.

6. §. IV. A jure naturali. Ut enim jus legale requirit, ut secundum acta judicetur, ita naturale requirit, ut secundum ipsius veritatem judicetur. Illud huic cedit, quia justum naturale prævalet justo legali. E. judex innocentem damnans contra naturæ jus facit. Plures cautelas in Meisnero, Hornejo & Liebenthal invenies.

Questio Quinta.

An jus Oeconomicum sit jus propriè dictum
& diversum à jure politico?

I. §. Jus Oeconomicum est jus ob similitudinem, quam habet

B 2

cum

um jure politico. Nam quia domus est, quasi parva quædam civitas, & civitas, quasi magna quædam domus, in utraq; gubernatione multa sunt communia & civilia. Ex domesticâ societate pedetentim, amplificatis familiis, nata est civilis societas. Primò extitit domus pluresque familiæ, donec ex pluribus domibus constitutus pagus, tandemque ex multis pagis constituta fuit civitas.

2. §. Est jus non simpliciter, quia in jure Oeconomico injuria simpliciter locum non habet. Nam injuria non est erga alienos, cum nemo dicatur propriè sibi vel suis injuriam facere. Domestici autem non sunt alieni, sed nostri quasi pars. Liberi enim sunt pars parentum, ex quibus progeniti. Hinc pater & filius dicuntur eandem sustinere personam. Ita servi sunt pars de bonis & possessionibus suorum dominorum. Ita & conjuges non sunt diversi, sed una caro. Ergò neque parentes liberis, neque domini servis, neque conjuges sibi mutuò dicuntur propriè facere injuriam.

3. §. Deinde domestici non sunt æqualiter iisdem legibus obstricti, neque inter se æquales quoad vicissitudinem imperandi & parendi. Ita pater non est illis legibus subjectus, quibus filius. Hoc enim foret iniquum, cum hoc modo patrum tolleretur auctoritas & potestas. Ita Domini & servi, mariti atque uxoris leges sunt diversæ ob diversa in re familiari munera.

4. §. Ex his colligimus, jus Oeconomicum non esse simpliciter jus. Nam ubi locum obtinet jus simpliciter, ibi etiam injuria, quia, dato uno contrario, datur etiam alterum. Porrò inter quas personas non est lex, quæ æqualiter omnes obliget, inter eos quoque non est jus, quod simpliciter jus dicitur. In jure autem Oeconomico injuria simpliciter locum non habet, neque inter domesticos sunt ejusmodi leges. Et neque inter domesticos est illud jus, quod simpliciter jus dicitur.

Questio Sexta.

Num jus naturale cadat etiam
in bruta?

Negamus, Nam i. jus naturale est rectæ rationis decretum.

tum. Bruta autem quia rationis sunt expertia, ideo in illa jus naturale nullo modo cadit. 2. Bruta non dicuntur facere injuriam, sed pauperiem. E. neque jus ad illa pertinet, quia, cui unum contrariorum non competit, ei nec alterum potest competere.

Questio Septima.

Num jus naturale sit immutabile?

Jus naturale per se & ratione communium principiorum semper est immutabile, sed per accidens, quatenus ad singulares actiones applicatur, mutatur & variatur. Hæc tamen mutatio non est vera, sed apparens, quia non jus ipsum, sed juris applicatio & actionum circumstantiæ mutantur.

Questio Octava.

Num volenti possit fieri injuria?

Negamus. Injuria enim definitur voluntaria & malitiosa læsio alicujus contra legem & patientis voluntatem facta. E. nemo volens injuriam patitur. Injuria est malum quid. Nemo autem sponte vult id, quod scit esse malum, cum omnes naturâ inclinent ad hoc, ut sui conservationem quærant. Facere injuriam & pati injuriam, sunt contraria, & habent contraria attributa. Ergo quia facere injuriam est quoddam voluntarium, pati erit aliquid involuntarium. Ergo nemo volens patitur injuriam. E. neque volenti fit injuria.

Questio Nona.

Num aliquis sibi ipsi injuriam inferre possit?

1. §. Negamus. Fundamentum negandi præcedens quæstio suggerit. Qui non potest sponte pati injuriam, ille etiam semet ipsum non potest injuriâ afficere. Hæc enim passio & actio quia ab eodem proficiscuntur principio, necesse est, ut etiam eodem modo sese habeant. Nemo potest sponte pati injuriam. E.

2. §. Alterum subministrat injustitia, quæ est vitium *de ego, est ego, hoc est, cujus actio ad alium dirigitur.* Jam autem quia ne-

mo à semetipso est diversus, nemo etiam in semetipsum potest esse
injustus aut injurius.

3. §. Tertium desumitur ab opposito. Si aliquis semetipsum
injuriam afficere potest, necesse est, ut illud faciat secundum certam
injuriæ speciem, per quam alterum lædit. Omnis enim injuria
est conjuncta cum alterius læsione, tam quoad bona externa, quam
quoad famam atque existimationem. Sed hoc nemo præstat,
hoc est, nemo potest sibi ipsi sua furari, aut seipsum decipere aut in-
famare. Ergo neque seipsum injuriam afficere.

Questio Decima.

Num omnis, qui injustum factum patitur,
rectè dicatur injuriam pati?

1. §. Injusta pati & injuriam pati differunt, ut latius & angu-
stius. Omnis, qui injuriam patitur, injustam rem patitur, non verò
contra omnis, qui injustum aliquid patitur, statim etiam injuriam
patitur. Nam ut non omnis, qui agit justa, etiam justè agit, ut su-
periora ad amissim ostendebant, ita etiam non omnis, qui agit
injusta, agit etiam injustè, adeoque neque injuriam dicitur facere.
Ut sese res habet in actione, ita & in passione. Itaque ut aliquis po-
test agere ea, quæ sunt justa, qui tamen non dicitur agere justè, ita
potest aliquis aliquid pati, quod est injustum, qui tamen non pati-
tur injuriam.

2. §. Ut aliquis propriè dicatur injuriam pati, venit observan-
dus animus & facientis & patientis injuriam. Hæc enim sunt rela-
tiva, facere & pati injuriam, quorum neutrum sine altero rectè po-
test consistere & considerari. Ob id non potest passio dici inju-
riosa, nisi etiam præcedat actio injuriosa. Nam si agens (veluti si
quis alterum ex ignorantia percutiat) non facit injustam rem ani-
mo injuriante, neque patiens propriè dicitur injuriam esse passus,
quamvis rem injustam fuerit passus. Idem de animo patientis rem
injustam statuendum est. Nam ubi volens patitur, sibi fieri id,
quod est injustum, is non dicitur pati injuriam.

3. §. Ex his evadit manifestum, quòd in passionibus aliud fit
rem

rem injustam pati, & aliud injuriam pati, quia in actionibus aliud est, rem injustam facere, & aliud injuriam facere. Et ut actio injuriosa debet esse conjuncta cum agentis voluntate, ita vi oppositorum sequitur, injuriosam passionem debere repugnare patientis voluntati.

Questio Undecima.

Utrum justus æquè possit alteri injuriam facere, sicut injustus?

Negamus. Aliud est *ἀδικεῖν*, aliud *ἀδικα πράττειν*, hoc est aliud est injuriam facere, aliud facere ea, quæ sunt injusta. Injuriam facit is, qui, datâ operâ, damnum infert. Ita vir justus neminem injuriâ afficit, cum ob justitiæ habitum non possit aliter, quàm justè facere. Agere quæ sunt injusta quandoque committuntur à justo, non de industriâ, sed aut per ignorantiam, aut per casum aliquem fortuitum aut violentiam. Actiones hæ quamvis injustæ, non tamen injuriosæ pronuntiantur ob *ἀδικησέως* defectum.

Questio Duodecima.

Utrum deterius sit injuriam facere, quàm pati?

Prius affirmatur. Facere & pati injuriam quamvis sint virtutis extrema, non tamen utrumque, ut reliqua reliquarum virtutum extrema, cum vitio conjunctum est. Nam facere injuriam quia ex odio, livore & cupiditate oritur, vitio non caret: contra pati quia patientiam & lenitatem præsupponit, vitio destituitur. Inde liquet melius esse pati injuriam, quàm inferre.

MEMBRI SECUNDI

Præcepta

de

ÆQUITATE.

1. Æquitas est correctio legis sive juris scripti eâ parte, quâ lex deficit ob suam generalitatem.

2. Ejus

2. Ejus extrema sunt duo in excessu, Summum jus & maliciosa juris interpretatio: in defectu jus nimium indulgens.

Explicationes.

1. §. Dicta videtur æquitas, quasi aquitas, quòd instar aquæ fluentis omnia in planum æquet. Hujus Synonymum est bonitas: item æquum & bonum, quia æquitas viri boni, qui amans est æquitatis, judicium & arbitrium sequitur.

2. §. Notabis 1. æquitatem dici tantum correctionem, non verò legis abolitionem. Alias enim non esset bona & laudabilis, sed cum lege planè pugnaret. 2. Æquitatem non universi juris, sed tantum legitimi & scripti esse correctionem. Nam æquitas jus naturæ ob summam perfectionem corrigere nequit. 3. Æquitatem non corrigere totam legem, sed tantum in eâ parte, in quâ deficit. 4. Per defectum non intelligi vitium, sed dici deficere, quatenus generaliter tantum sancit, nec in specie ob circumstantiarum varietatem quicquam constituit.

3. §. Defectum hunc vocant *ἔλλειψα* à verbo *ἔλλειπω*, omitto, quia videtur aliquid esse omissum: item *ἀμαρτημα*, erratum seu peccatum, quia legislator in scribendâ lege videtur peccasse, dum nihil de hoc vel illo singulari causâ determinavit.

4. §. Hinc sequuntur duo Corollaria:

1. *Hunc defectum non esse in lege, neq; in legislatore, sed in rerum materia.* Non enim omnia ob circumstantiarum varietatem à legumlatore prævideri, aut in verbis legum comprehendi potuerunt.

2. *Hunc defectum corrigi, adhibet à legitimâ interpretatione & circumspectâ applicatione, ita ut, quæ generaliter dicta, ad casus speciales prudenter accommodentur.* Hinc audit *ἀναπλήρωμα*, supplementum, æquitas, quæ ob casum aliquem singularem in lege non definitum, in locum scripti juris succedit, defectum corrigit examinatis omnibus unius facti circumstantijs, consideratâ diligenter legislatoris mente & voluntate, excusâ legis sententiâ, eâque ad speciale factum prudenter accommodatâ, ita, quemadmodum legis-

legislator, si præsens adhuc esset, casum prævidisset, pronunciaret, factumque determinaret.

5. §. *Æquitas à jure differt tribus modis. Æquitas jure videtur melior. Hujus enim asperitatem pro circumstantiarum varietate mitigat, & rigorem corrigit. Æquitas non continetur scripto & verbis, sed ex boni viri arbitrio dependet. Hinc sequitur Corollarium: Divisionem inter æquitatem scriptam & non scriptam esse falsam. Æquitas non continet universalis præcepta, sed circumstantias & casus singulares.*

6. §. In excessu æquitati opponitur summum ius, & callida juri explicatio. Jus strictum est, quando verba legis simpliciter urgentur, & nulla planè benigna verborum interpretatio admittitur, nec legislatoris voluntas spectatur. Hoc secundum Terentium sæpe summa injuria est. Alterum videlicet callida interpretatio fraudandi gratiâ instituitur. Hinc dicitur calumnia, quando verba legis in deteriore partem torquentur, atque aliter accipiuntur, quàm à legislatore fuerunt intellecta. Ita sese habent excessus, quibus detectus nimia juris indulgentia addi potest.

QUÆSTIONES.

Quæstio Prima.

Num summum jus sit summa injuria?

1. §. Distinguimus inter jus verum & adulterinum. Summum jus verum est, quod cum verbis & intentione legis rectè conditione exactè congruit. Adulterinum, quod cum verbis quidem legis, sed non cum mente ejus congruit. Utrumque trifariam consideratur, ratione constitutionis, executionis, & interpretationis. Quæstio affirmatur non de vero, sed adulterino jure. Nam quis non intelligit, quamlibet legem facillè informari ac convelli posse, si verbis tantùm inhærendum sit, relicto vero sensu, ratione, autoritate, & consilio eorum, qui leges scripserunt?

2. §. Atque sic summum jus summa injuria, respectu constitutionis,

tionis, executionis atque interpretationis. Ratione constitutionis, quia non factum est secundum legem divinam & naturalem. Ratione executionis, cum sine mitigatione, quam tamen legislator ob gravem circumstantiam admitteret, rigidè secundum verba, non attentis circumstantiis procedimus. Tandem ratione interpretationis, si ad legem accedat malitiosa iudicis interpretatio.

Questio Secunda.

Num liceat cuivis aliquid de suo jure remittere?

Affirmamus. Nam remittere aliquid de suo jure, neque cum iustitiâ, neque cum honestate pugnat, sed ad proximi, cui pro viribus suppetiæ ferendæ, commodum facit. Argumentum est singulare humanitatis, mansuetudinis, liberalitatis, misericordiæ atque æquitatis, nemini facit injuriam neque sibi metipsum neque alii. Non sibi, cum spontè hoc faciat. Omnis autem injuria fit contra voluntatem illius, cui infertur. Non alteri, quia ad hunc non spectat.

Questio Tertia.

Num æquitas sit eadem cum iustitiâ?

Quamvis adsit magna inter hæc conjunctio, differunt tamen. Virum enim justum & æquum non pari modo laudamus: illum minus, hunc magis, quia vir æquus de suo jure non nihil cedit, justus dum strictè suum jus urget, durus atque injustus, respectu viri boni & æqui esse videtur. Jam si iustitia eadem esset cum æquitate, utrique sequeretur, utrique par encomium esse attribuendum. Posterius, ut audimus, non est. E. neque prius.

Questio Quarta.

Num æquitas in jure naturali & divino adhiberi queat?

Nèquaquam. Nam in jure divino & naturali nullus planè datur defectus, nullusque rigor, cum utrumque immediatè à Deo, quicquid præcepit, plenariè & perfectè præcepit, originem trahat. E. æquitas in jure naturali & divino non inveniunt locum. Hinc patet, quid statuendum de divisione, æquitatem esse vel naturalem vel civilem.

i. §. Ad

Quaestio Quinta.

Num secundum jus scriptum, an verò secundum æquitatem sit judicandum?

1. §. Ad distincta distinctè venit respondendum. In iis casibus, de quibus lex principaliter loquitur, ex jure judicandum. Nam si judici liceret ab hoc discessum facere, ob quem finem lex foret sancita? Igitur obedientia erga legem existit necessaria. Non homo, sed ratio imperet. Leges enim carent affectibus, & æqualiter se erga omnes habent, cum non possint flecti aut corrumpi precibus, promissis vel minis. Homines verò ob affectus, quibus sunt obnoxij, à normâ juris atque æqualitatis facillimè possunt abduci. Hinc in benè constitutis Rebusp. non homines, sed leges, quarum custos Magistratus imperant.

2. Ubi jus vel nullum, vel iniquum, vel obscurum & nimis generale est, tunc demum sequimur judicis arbitrium, non libidine judicis, sed rectâ ratione definiendum. Quam æquitatem ipsæ leges judici commendant.

*A*spice quem post se genuit SCHNEIDWINIUS Heros,
Quem sibi naturâ junxit & ingenio!
In natis vivit tradux solertia patrum,
Dissimilesq; annos temperat arte labor.
Multa avus ingenij mundo monumenta reliquit;
Sed sciat in nato se superesse sibi.

Testando amori Respondenti Præstantis. Dn.
scripsit

M. Michael Schneider
Moralium P. P.

*S*ilabor ingenio pulcro responderit, in te,
Hæc loquor expertus, mox redidibus Avus.
Præses.

05 A 2395

ULB Halle

3


003 784 584



[Handwritten signature]

ad.





Ex Practicâ Philosophiâ
de
Jure atque Æquitate,
Duce Deo & Praside
M. MICHAELE WENDELERO,
Facult. Philos. Adjuncto,
JOHANNES Schneidewein Cygnéus
publicè disputabit
ad diem 15. Decemb. horis antemeridianis
In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
Anno M DC XXXVIII.